

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

**Melanchthon, Philipp
Aristoteles**

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Commentaria in secumdum librum

urn:nbn:de:bsz:31-106587

COMMENTARIA
IN SECVN-
DVM LIBRVM.



Qvum in definitione foelicitatis in primo libro mentio facta fit uirtutis, res postulabat ipsa ut de uirtutis natura, ac partibus deinceps diceretur. Proinde in hoc secundo libro definitur uirtus, & queruntur eius cause, & enumerantur species. Nec alius liber ullus inter hos discentibus utilior est. Sæpe autem admodum, quam adferant utilitatē hi libri Aristotelis. Quū enim omnia negotia in dicendo ac iudicando referantur ad locos communes uirtutum ac uitiolorum, conuenit locos illos non tantum obiter attingere, sed penitus introspicere, ut perfectas eorum formas inclusas in animo circumferamus, ut statim offerant se nobis, quum opus est. Et nemo ignorat opus esse præceptis de moribus. Quidam autem ita putant se tenere præcepta quū aliquot gnomas excerptas ex autoribus temerè congesserunt. At hi nullam perfectam ac solidam doctrinā habent de moribus. Fontes & causas præceptorum, & quatenus pateant horum regionibus cognoscere oportet. Est enim certa quædam ars de moribus, quæ præcepta & præceptorum

IN ETHICA ARIST.

ceptorū causas habet in natura positas, sicut Arithmetica, & aliæ artes certa præcepta, & causas præceptorum habent. Nec de officijs in hac communi uita, nec de legibus recte iudicare poterit is, qui non adhibet perfectam artis notitiam ad illas cōmunes sententias quæ excerpuntur.

Sunt aliæ multæ causæ, quæ inuitare studiosos debent. Est quedam uoluptas uidere, quomodo in natura scripta sint præcepta de moribus. Et quum in nobis deprehensa sunt, intelligere quod Dei creaturæ & mandata sint, quod hæc doctrina diuinitus ostensa sit. Proinde magnificienda est, & inter præstantissima Dei opera numeranda.

Prodest etiam uidere quousq; natura certa demonstratione progredi possit in iudicandis moribus, ne inepte cōmisceantur doctrina Christiana & Philosophica. Atqui melius intelliget discrimen Christianæ doctrinæ, & Philosophiæ, qui nouit utrâq;. Nam Christiana doctrina de uoluptate Dei, de timore, de fide erga Deum, ita præcipit, ut neq; πολιτεία, neq; οικονομία euertat, sed potius ut firmissime muniat has. Pertinet autem Philosophia, ad politicam & ciuilem, seu externam uitæ actionē, quam adprobat Christus. Sed ne præfatio longior iusto sit, redeo ad Aristotelem.

Initio causam uirtutis querit, utrum nobiscum

COMMENTARIA

nascatur, an alio modo cōtingat nobis. Magna enim inter doctos de hac re controuersia fuit. Quædam ingenia tam fera sunt, ut non possunt arte aliqua circurari. Itaq; contenderunt nonnulli uirtutem non posse comparari nostræ industria. Contra, alij uidentur in quibusdam proficere culturam, quare senserunt industria nostræ uirtutem parari posse.

Causæ uirtutis. Dijudicatur hic uetus illa cōtrouersia, & ostenduntur breuiter causæ uirtutis. Sunt autem causæ iudicium rationis, & uoluntas sequens illud iudiciū, & mouens ad recte agendum. Crebræ actiones parantur habitum, is uocatur uirtus. Itaq; non nascitur nobiscum uirtus, sed efficitur ex rectis actionibus. Actiones autem sunt aliquo modo in nostræ potestate, ita aliquo modo nostræ potestatis est uirtutem comparare. Multum ad perspicuitatem ualet Aristotelis collatio. Docet enim ita uirtutem comparari nostris actionibus, sicut artes comparantur. Pictor fit crebro pingendo, faber fit sæpe fabricando, Poëta fit uersus sæpe scribendo. Ita censet Aristoteles uirtutem effici, si quis aduefcat recte facere. Sed tamen, ut nemo sine singulari naturæ dote fit bonus Poëta. Ita ut fiat perfecta uirtus, oportet in animis existere singulares quosdam motus naturales. Hos uocat Aristoteles φυσικὰς ἀρετὰς, hæc quoq; ad perfectam uirtutem requiruntur. Sed hæc non sunt similes

IN ETHICA ARIST.

similes in omnibus, sicut nō omnes iuxta sunt ad poē-
 ticam idonei, ideo non assequuntur omnes perfectā
 uirtutem. Sicut pauci euadunt boni Poētae, & tamē
 nemo est, qui non queat tantū discere, ut quales qua-
 les uersus faciat. Ita nemo est, qui non aliqua, ut ita
 dicam, simulachra uirtutis efficere possit.

Hęc satis sit de causis uirtutum dixisse. Prode-
 rat huc conferre ea, quę traduntur in sacris literis,
 de causis uirtutum. Sed satis sit admonuisse, quod
 Christiana doctrina præcipit honestas actiones etiā
 ab impijs fieri, iuxta illud, Lex est pædagogus &c.
 Gignunt autem actiones habitus quosdam, ut uide-
 mus bene institutos atq; educatos, tractabiliore esse.
 Fiunt enim habitus quidam morum, ut artium in
 nobis naturaliter, neq; hoc adimit naturę doctrina
 Christiana. Non igitur improbat hęc quę de causis
 uirtutum traduntur ab Aristotele, sicut neq; leges
 ciuitatum improbat. Verum interea tradit nobis
 Deum fieri placatum, non propter hęc externa of-
 ficia, sed per misericordiam propter Christum. Præ-
 terea quum hęc officia fiunt in impijs, sine timore
 Dei, sine fiducia misericordię Dei, sed fiducia huma-
 narum uirium, aut ad colligendam auram popula-
 rem, contaminantur actiones alioqui honestę. Sed
 de his alijs.

Sed ut Aristoteles clare ostēdat, quomodo uirtutes

COMMENTARIA

efficiantur, comparat eas cum artibus. Nam facilius
intelligi potest, artes esse habitus quosdā, quā uir-
tutem esse habitum. Sic igitur inquit: Quemadmo-
dum artes gignuntur in nobis, ita gignuntur & uir-
tutes. Artes autem ab experimentis, hoc est, actio-
nibus oriuntur. Ita consentaneum est ex actionibus
uirtutem nasci. Docet itaq; duplices esse habitus.
Quidam sunt intellectus, ut ars quæ est Mechanis-
corum, prudentia notitia de moribus. Scientia co-
gnitio est speculabilem. Alij sunt habitus, ut ipsi uo-
cant, morales, uirtus, & uitiū. Hi dicuntur esse uo-
luntatis proprie.

Duplex
habitus.

Duplices
potentie.

Obiter monet, duplices esse potentias. Quædam
non possunt assuefieri, ut uegetatiuum, hæ dicuntur
irracionales. Aliæ possunt assuefieri, hæ dicuntur ra-
tionales, aut rationi obtemperantes. Item obiter
disputat uirtutes uersari circa uoluptates & dolo-
res, de qua re infra iterum dicet. Item hortatur ad
exercitationem, quæ non modo ad uirtutem compa-
randam conducit, sed prodest etiam, ut iudicare me-
lius de præceptis possimus. Nam hæc ars uersatur
circa singularia, nempe, circa actiones. Nō possunt
igitur omnia, ut in alijs quibusdam artibus certa de-
monstratione cōprehendi. Sæpe circumstantiæ effi-
ciunt, ut à cōmunibus præceptis aliquo modo disce-
dendum sit. Hoc usus docebit. Ideo inquit.

πᾶς

IN ETHICA ARIST.

πᾶς περὶ πρακτικῶν λόγος τύπων οὐκ ἀκριβῶς
ἕως ὀφείλει λέγεσθαι.

Supra quæsiuit efficientem causam uirtutis, nūc
genus uirtutis querit, enumeratione earum rerum,
quæ solent in anima existere, & permanere. Ac ini-
tio proponit membra partitionis. Tria sunt in ani-
ma: affectus, potentia, habitus. Hanc partitionem
magnopere conducit meminisse, præsertim quia ali-
qua ex parte hic affectuum natura aperitur. Est au-
tem affectus uel breuis motus, uel durabilis motus,
prosequens ea quæ bona uisa sunt, aut fugiens ac de-
pellens ea quæ mala uisa sunt. Et habent affectus or-
gana in natura, ut cor, & alia membra, quæ cidentur
affectibus, tanquam uentis. Sicut cutis icta uulnera-
tur, ita mouetur cor aliqua re commoda, aut incom-
moda oblata, quum res nocitura offertur, cor fugi-
tans sanguinem ad se contrahit, ideo pallescunt ex-
trema. Quando irascitur animus, effervescent bilis,
& inflammatur sanguis circa cor. Ita singuli ad-
fectus in natura causas, & instrumenta habent, &
sunt naturales quidam motus, qui excitantur, quum
sensus aut ratio statuit obiectum esse commodum aut
incommodum. Hi motus subseruiunt illi qualicunq;
cognitioni, & ab ea excitantur. Docet autem Ari-
stoteles, quod uirtus non sit affectus, quia affectus
inrascuntur, uirtus non inrascitur. Item, nemo lau-

Tria sunt
in anima.

Affectus
quid sit.

COMMENTARIA

datur de affectibus. At de uirtute laudamur. Est autem de affectibus magna dissensio Stoicis cum Aristotele. Nam Stoici improbant omnes affectus. Aristoteles quia naturam improbare non potest, nec affectus improbat. Videt enim hos nobiscum nasci. Sentit igitur affectus quaedam naturae beneficia esse, quia sint instrumenta agendi, seu calcaria extimulancia ad agendum. Nisi mortis metu commoueremur, non quereremus uictum. Nisi irasceremur, non defenderemus uitam nostram, & aliorum qui nobis commissi sunt.

Sententiam Stoicorum multi credo nouitate capti, mirifice probauerunt, & in his est Augustinus etiam. Sed multae rationes sunt, quae ostendunt eam prorsus à natura abhorrere. Natura enim non potest esse sine adpetitione. Nam ut fames & sitis eximi naturae non possunt, ita ridicula est Stoicorum ratio, qui conantur affectus ex natura euellere: sed nos paucis indicabimus, quid Christiano sentiendum sit. In homine sunt duplices affectus. Quidam omnino à ratione dissentunt, ut ambitio, inuidia, & similes. Hos esse uitiosos non est dubium. Oriuntur autem à peccato originis, quod efficit ut nihil queramus, seu adpetamus, nisi nostrae utilitatis, aut uoluptatis causa. Alij sunt affectus rationi conuenientes, ut amor parentum erga liberos, liberorum erga parentes, con-

In homine
duplices
affectus.

IN ET

ae coniugum inter
micos. Hi affectus
orientur à pecca
fatu oculi, aures
in arguit homin
diquis suorum
que, Medea n
discepit si fr
rupta haere a
entes ratione
alij affectus
culpatur natura
beros, quia e
tij, sopor, q
& sine timo
litate, aut u
& tamen si
ferriam quon
trem condem
tales impetu
tere a nullo m
gelo, ut in
cauetus non l
infricit: sic
duerfus car
Legi, seu ra

IN ETHICA ARIST.

tes, coniugum inter se, amor erga benemeritos & amicos. Hi affectus dicuntur σοφῶν φιλικαί. Nec oriuntur à peccato originis, sed sunt creaturae Dei, sicut oculi, aures. Itaq; & Paulus tanquã monstruosos arguit homines ἀσώφως. Rom. 1. Et quĩ ait. Si quis suorum non habet curam, deterior est gentili, ut, Medea naturalem beneuolentiam exiit, quum discerpfit fratrem. Nunc autem quum in natura corrupta hereant affectus alioqui boni, & consentientes rationi, contaminantur & ipsi. Plerunq; enim alij affectus dissentientes à ratione, uincunt. Item culpatur naturalis beneuolentia parentum erga liberos, quia est sine amore Dei. Habent igitur hoc uitij, σοφῶν φιλικαί, & quod sunt sine amore Dei, & sine timore Dei, & quod uincantur amore utilitatis, aut uoluptatis nostrae, ut est in Medea uidere, & tamen sunt incubula ciuiliũ uirtutum, praesertim quum sunt acriores, sicut amor filiae, quae patrem condemnatum in carcere uberibus suis aluit, tales impetus uere sunt singularia Dei dona. Praeterea nullo modo conuenit Stoica sententia cũ Euan-gelio, ut inepti quidam arbitrantur. Nam spiritus sanctus nõ liberat nos affectibus, sed novos affectus aduersus carnem: malos affectus, & repugnantes Legi, seu rationi iugulat: σοφῶν φιλικαί reddidit

COMMENTARIA

puriores, & acriores efficit. Adhæc novos affectus parit, fiduciam erga Deum, timorem Dei. Postremo Christianæ uirtutes uere sunt ipsi affectus insiti à spiritu sancto, sicut docet Paulus, quum uocat eas fructus spiritus. At ciuiles uirtutes non sunt affectus, sed habitus, qui regunt, & moderantur affectus naturales, tamen si interdum habitus uires accipiunt ab affectu. Nam is habitus firmior est qui similes habet in natura affectus, ut facilius regit equum seffor non repugnantem. Ideo autem omnis disciplina instituta est, Leges condite sunt, ut affectibus imperare adsuescamus. Ea consuetudo parit habitum. Proinde ex uarietate affectuum sumitur distributio uirtutum, quia uirtutes omnes tradite sunt, ut affectus gubernent.

Hactenus de natura affectuum diximus, & ostendimus uirtutes ciuiles non esse proprie affectus. Nam affectus præcurrunt rationem, uirtus non præcurrit. Quod autem non sunt potentie, facillime intelligi potest: quia potentie nascuntur nobiscum. At uirtutes non nascuntur nobiscum, sicut neque artes. Reliquum est igitur sufficiente enumeratione, ut statuas uirtutes esse habitus.

Artes non nascuntur nobiscum.

INCAPVT VI. DE ARITHMETICA & Geometrica proportionione.

In Metho

IN ETHICA ARIST.

In methodo colliguntur ordine partes definitio-
nis. Supra genus deprehensum est, scilicet habi-
tus. Nunc queruntur differentie. Sumuntur autem
differentie plerūq; ab obiectis & officijs. Idem hic
fit: quia enim uirtutes omnes uersantur aut circa
affectus, aut circa cōtractus, eosq; moderātur, ideo
constituit hic differentiam, mediocritatem seruare,
tum in affectibus, tum in contrahendo. Nunc igitur *Virtutis*
definitio magna ex parte deprehensa est, uirtus est *diffinitio.*
habitus qui mediocritatē seruat, tum in affectibus,
tum in contrahendo, ut, moderari iram, timorem,
fortitudo est: moderari uoluptatem, cupiditatem,
modestia, & temperantia.

Extant in Poëtis, & alijs scriptoribus multa me-
diocritatis laudes. Sic enim semper homines erudi-
ti & prudentes iudicauerunt, uirtutem mediocrita-
tem, seu moderationem quandam esse in dictis & fa-
ctis, quæ motus animi, quæ cupiditates, quæ omnia
consilia, quæ deniq; uniuersam hanc uitæ consuetu-
dinem gubernet. ideo laudatur illud in Comœdia,
Ne quid nimis: & placet uersiculus,
Omnibus adde modū, modus est pulcherrima uirtus
Et illud, Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Sed quorsum attinet multa testimonia adscribe-
re, quum in promptu sint omnibus? Sed unum atq;

COMMENTARIA

alterum duxi recitandum esse, ut intelligi possit, Aristotelem sumpsisse definitionem à communi quadam sententia prudentum hominum. Et melius intelligi potest, quomodo in cōmuni uita hac definitione utendum sit, quum ad aliorum sententias comparatur,

Medio- sicut illa uox, Ne quid nimis, monet nos, ut mediocri-
critas in tatem in omnibus rebus conseruemus, ita hæc Aristote-
lisis definitio præcipit, ut iram, ut alias cupiditates moderemur, ut qui deceat singulis locis ac tēporibus, obseruemus. Magna laus Peripatetica sectæ iudicanda est, quod omnes uirtutes ad mediocritatē refert, quia sine ea nihil decet. Et quamuis bonæ res etiam amant modū quendā, nimis dulcia fastidiunt sensus, nimium ornatū in oratione repudiant aures, nimia seueritas odiosa est, nimia lenitas ac facilitas ingrata est. In oratione delectant ioci, sed si desit modus, petulantia aut scurrilitas erit. Adeo nihil habet gratiæ, quicquid sine modo fit. Hoc quum in omni uita genere meminisse conuenit, tum maxime illi qui gubernant Respublicas, moderari iracundiā, & alias cupiditates debent. Laudatur C. Cesar, quod in uictoria irā ac dolorē suū moderatus sit. Ea res longe maiore fortitudinis laudē habet, quā uictoria ipsa. Sylla utuperatur, quod in uictoria superbus ac crudelis fuerit. Itaque iure prædicatur Maximilianus, qui quū fuerit in omni uita moderatissimus, hanc uocem

Hals

IN ETHICA ARIST.

Halt maß, ita habuit in delitijs, ut usurpauerit pro suo symbolo. Solent enim Principes ueteri more, tanquam sua quaedam symbola passim scribere, certa dicta, alius alia de re, sicut Augustus scripsit, $\omega\epsilon\upsilon\delta$ & $\beta\gamma\alpha\delta\epsilon\omega\zeta$, quae uox etiam ad mediocritatem conseruandam hortatur.

Sed redeo ad Aristotelem. Is monet in uirtutibus mediocritatem non nimis exacte intelligendam esse, sed ut Iurisperitorum more loquar $\epsilon\upsilon\omega\lambda\alpha\kappa\tau\epsilon\iota$ Ipse sic ait, medium sumendum esse quo ad nos, non quo ad naturam, hoc est, quod pro uarietate temporum nobis uidetur conuenire. Nec idem semper est medium omnium actionum. In dandis elemosynis plus largietur opulentus, quam pauper. In puniendo non utetur simili lenitate, aut seueritate iudex semper, sed pro uarietate personarum ac temporum, uaria consilia capiet. Aristoteles ad hanc rem declarandam, ab Arithmetiis quandam similitudinem mutuatus est, quae recte intellecta, magnam lucem huic cause affert. Sepe autem sumunt et Plato & Aristoteles similitudines ex Arithmetica & Geometria, quia haec artes illis temporibus tradebantur omnibus ingenuis pueris. Nemo erat qui pingere figuras literarum didicerat, qui non una percepisset elementaistarum artium. Quare cum omnibus familiariter notae essent, et à prima pueritia tractatae

COMMENTARIA

similitudinis inde, ut ex rebus notissimis sumptæ, mi-
re illustrabant alias obscuras causas.

Quum uirtus inter duo uitiosa exempla uer-
tur, quæ defectum uocant & excessum; semper que-
rendum est medium inter id quod parum est, & illuc
ter duo ui- quod multum est: ut inter timiditatem & audaciam
tiosa exem uersatur fortitudo. Inter auaritiam aut sordes &
pla uersa= prodigalitatem, uersatur liberalitas. Inter hæc in-
tur. quit Aristoteles, sumendum esse medium, non secun-
dum rem, sed secundum nos. Vocat autem medium
secundum rem, quod undiq; iuxta distat ab extremis
ut in circulo, centrum iuxta distat à circumferentia.
Medium secundum nos uocat, quod aliàs propius ac-
cedit ad alterum extremorum, quod uir prudens ali-
às aliter sumendum iudicat. Non utitur iudex pari se-
ueritate ubiq;, aliàs propius debet accedere ad se-
uitiam, aliàs remissior uideri, pro temporum & cir-
cumstantiarum uarietate.

Et quia Aristoteles medium secundum rem esse
dicit, quod Arithmetica proportione sumitur, expo-
nendum est, quid sit arithmetica proportio, quantū
requirit hic locus. Nam latissime patet hæc res, si
quis totam uelit explicare.

Proportio Proportio, est duarum quantitatū collatio, ut
nis diffini- comparatio 4. ad 2. dicitur proportio dupla. Hinc
tio. plurium proportionum inter se comparatio oritur,
quum

IN ETHICA ARIST.

quum non tantum duas, sed plures quantitates inter se conferimus. Hæc uulgo appellatur proportio bilitas, nouo uocabulo. Nam ueteres nominant cōparationem proportionum seu rationum. Aristoteles tantum utitur nomine ἀναλογίας, quod proportionem significat. Arithmetica proportio est, cum tres termini ita ponuntur, ut medius æqualibus numeris excedat primum, & excedatur ab ultimo. Sic enim hoc loco accommodat Aristoteles. 2. 4. 6. medius numerus binario excedit primum, & uincitur à postremo, iuxta igitur ab utroq; distat, non aliter atq; centrum distat undiq; à circumferentia. Negat Aristoteles hoc modo sumendum esse medium inter multum & paucum. Vt enim Medicus errauerit in præscribenda uictus ratione, si cum 10. nimium esse putet, 2. parum sumat 6. Nam fieri potest, ut neq; hic numerus conueniat, tametsi Arithmetica proportione medius sit. Nam in uirtutibus sepe mediocritas propius accedit ad alterum extremorum, ut Fabij fortitudo ad timiditatem propius accedit. Marij fortitudo dimicantis cum Cimbris accedit magis ad audaciam. Si Arithmeticam proportionem sequeremur, tantundem oporteret. Irum & Cræsum largiri, quia nihil requiritur hic, nisi ut medius numerus ab utroq; distet æqualibus numeris, quæ sit dissimilitudo Iri & Cræsi, nihil ad Arithmeticam pro

Arithmetica proportio.

COMMENTARIA

portionem. Hæc enim tantum postulat, ut termini æqualibus numeris distent. Si Arithmetica proportione aurum, argentum diuidendum esset, nulla rerum fieret comparatio, tantum æquali pondere aurū & argentum distribueretur. Paulus inquit æqualitatem bonorum inter Christianos esse debere. Hoc si proportione arithmetica intelligeretur, non liceret plus possidere principi quàm plebeio. Reputatur igitur hic arithmetica proportio, quia mediū in uirtute aliās aliter sumitur.

Quomodo igitur deprehendi medium in tanta uarietate poterit? Aristoteles eius rei iudiciū ad sensum communem rejicit. Sicut artifices omnes student quandam mediocritatem custodire inter multum & paucum, ut pictores in formis corporum pingendis, Oratores in oratione ornanda, ita in mortibus animaduertit uir prudens, quid deceat inter multum & paucum. Sic enim inquit: ἢ φῶσις τῆ μέσου ἀπὲ τῶ σοφιστικῆ. natura ipsa mediocritatē deprehendit. Sed hæc mediocritas geometrica proportione est æstimanda. Est autem geometrica proportio, quum termini nō distant æqualibus numeris, sed cōstruuntur æqualibus proportionibus, ut sicut se habent 3. ad 4. ita habent 6. ad 3. nam utraq; proportio est dupla. Ita usurpatur proportio in prescribenda uictus ratione. Sicut sano cuius stomachus multa concoquit

Diffinitio
geometri-
cæ propor-
tionis.

IN E
concoquit, ma
tanti d'ozz
non eadem diu
alibinc mod
um & exuper
fectus aut ex
mauerit r
& exuper
proportion
aut ad def
dit. Sicut
tates, ita se
si facultates
irus largiet
Cimbri ac
titudo detra
pius ad tim
dum tenuit
ta proportio
mitates &
opportunit
critatem ser
serio pugna
rem incesse
mo obfister
re decreuer

IN ETHICA ARIST.

concoquit, una libra carnis præbenda est, ita laboranti dicitur semilibram præberi conueniet. Hic non eadem diuersis personis multa sunt, aut pauca. Ad hunc modum quum uirtus uersetur inter defectum & exuperantiam, non debet intelligi similis defectus aut exuperantia in singulis. In genere animaduertit ratio certam quandam inter defectum & exuperantiam mediocritatem. Sed hanc proportionem defectus & exuperantie uariat, & aut ad defectum, aut exuperantiam propius accedit. Sicut se habent Cræsi facultates ad Iri facultates, ita sit in largiendo proportio. Si igitur Cræsi facultates sint 9. Iri 3. quum Cræsus largietur 3. Iri largietur 1. Marij fortitudo dimicantis cum Cimbris accedit propius ad audaciam. Fabij fortitudo detrectantis pugnam cum Annibale, propius ad timiditatem accedit, Et tamen uterq; medium tenuit, uterq; fortiter & præclare fecit. Iuxta proportionem. Sicut se habent Marij opportunitates & cause ad pugnandum, ita habent Fabij opportunitates ad contandum, uterq; igitur mediocritatem seruauit. Primum uidebat Marius necessario pugnandum esse. Quia Cimbrum tantum terrorem incusserant uniuersæ Italiae, ut si pergerent, nemo obsisteret unquam. Et iam expidui barbari pergere decreuerant. Norat etiam pugne genus, magno

COMMENTARIA

impeturuunt in pugnam barbari, qui tamen cito lan-
 guefcit, fi hoftis non ftatim cefferit. Ad hæc nullos
 feruant ordines. Quum igitur Marius & caufam
 pugnandi neceffariam habuerit, & rationem guber-
 nandi periculi animaduertit, fortiter fecit comif-
 fo prelio, tamen fi confilium propius ad audaciã ac-
 cedit, quia ualde periculofa cum tanta multitudine
 & cum ferociffima gente dimicatio fuit. Contra Fa-
 bius expendebat tres exercitus Populi Romani amif-
 fos effe, domi non effe reliquos milites, qui Rempub-
 defendere poffent, fi qua clades effet accepta. An-
 nibali non tantum audaciam ex fecundis rebus, fed
 uires etiam creuiffe acceffione Campanorum. Ad
 hæc fciebat fibi cum hoſte tali rem effe, qui confilt-
 um uiribus addebat. Ad hæc uidebat eum in aliena
 terra paulatim frangi poffe, intercluſis cõmeatibus
 modo bellum extraheret. Deniq; multas caufas ha-
 buit, quod non confligeret. Fortiter igitur fecit, tam
 etſi uidetur timidius confilium fuiſſe. Neq; tamen re-
 prehendi poteſt, quia non abiecit arma, ut timidi ſo-
 lent, nuſquam diſceſſit ab hoſte, ſed eum ſingulari
 magnitudine animi ſecutus circũueſedit, et per occa-
 ſionem carpiſit hoſtilem exercitum ſine periculo. Ad
 hunc modum ſumitur in uirtutibus mediocritas pro-
 portione. Sicut, quanquam in genere quedam
 mediocritas in uictu præſcribitur, tamen Medicus
 aliter

IN E

aliter ſanos, ad
 proportione tant
 licet. Geom
 tione perſona
 D

Ego in la
 uirtut
 cinat ad ag
 definitione
 facilius ar
 tim qui Ari
 ſentit ab Ar
 ter expend
 ſunt iudici
 in moribus
 rum Arift
 in illa breu
 tis. Ariftot
 plexus eſt, q
 eſſe, qui ad
 ſpectat. Sed
 explicamus
 ſeruet. Na
 librum ama
 huius propon

IN ETHICA ARIST.

aliter sanos, aliter agrotos tractat. Arithmetica proportio tantum aequalia numerorum spatia considerat. Geometrica corrigit illa spatia pro proportione personarum.

DE DEFINITIONE

virtutis.

EGO in libris Officiorum M. Ciceronis definiui uirtutem hoc modo. Virtus est habitus, qui inclinatur ad agendum secundum rectam rationem. Hac definitione magis usus sum quam Aristotelica, quia facilius arbitrabar eam ab indoctis intelligi, praesertim qui Aristotelem non legissent. Et tamen non dissentit ab Aristotelis definitione, si quis eam diligenter expendit. Nam honestarum actionum causa sunt, iudicium rationis, quod ostendit, quid debeat in moribus, et uoluntas obtemperans iudicio. Verum Aristotelis definitio aliquanto longior est. Ego in illa breui definitione tantum attigi officium uirtutis. Aristoteles et officij modum et obiectum complexus est, quia addidit uirtutem eiusmodi habitum esse, qui adfectus, qui motus animi ad mediocritatem flectat. Sed priusquam Aristotelicam definitionem explicamus, admonendus est lector, ut methodum obseruet. Nam etiam si nulla causa esset alia, quam hunc librum amaremus: tamen ideo legendus, et iuuenibus proponendus esset, quia iuxta methodi exemplum

Officium
uirtutis.

COMMENTARIA

continet, quod in alijs argumētis, in alijs artibus imitari poterunt. Nam in omnium rerum atq; causarū explicatione necesse est methodū tenere. Sicut nau- tæ suum cursum ad certas stellas dirigunt, ita in do- cendo dirigenda est oratio ad illa præcepta, quæ in Dialectica de methodo traduntur.

Sepe autem dixi, artificem methodi neminē esse meliorem Aristotele. Vide quomodo ad definitionē uirtutis, quasi per gradus quosdam, accesserit. Et præcedentia ferè causas, aut fontes sequentium con- tinent, aut certe molliorē aditum ad sequentia præ- bent. Initio secundi libri quæsiuit efficientes causas uirtutis, postea de genere disputat, utrum uirtus sit habitus, an affectus. Deinde deprehenso genere, querit differentiam. Hanc sumpsit ab officio seu obiectis, uidelicet, talem habitum esse uirtutem, qui nos cogat in actionibus, & affectibus mediocritatē quandam conseruare. Nunc quum membra defini- tionis paulatim conquisiuerit, totam definitionem recitat his uerbis. Virtus est habitus electiuus in me- diocritate secundum nos consistens, certa ratione, quemadmodum uir prudens iudicabit. Non est opus repetere quid habitum uocet, aut quur habitus sit genus uirtutis, ceteræ particule, quarum congeri- es differentie loco ponitur, excutiendæ sunt. Quod addit, electiuum, græca phrasis est, eaq; sola parti- cula

IN ETHICA ARIST.

cula reddit obscuram definitionem, quia est aliena à
 consuetudine latini sermonis. Significat autem ele-
 ctivus, idem quod electione, id est, consulto, seu cer-
 to iudicio, seu certa deliberatione, non casu, non na-
 tura uolens seu suscipiens actionem. Nam ut apud
 Latinos consulto fieri dicuntur ea, quæ neq; natura
 liter, neq; casu fiunt, sed certo consilio, certa ratioe,
 seu deliberatione: ita Aristoteles usurpat $\pi\rho\omicron\upsilon\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$
 $\xi\tau\omicron\upsilon$ certa deliberatione aliquid uelle. In libro ter-
 tio diligenter disputat de natura huius uocabuli, ubi
 constituit $\pi\rho\omicron\upsilon\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$ esse uoluntatis actionem, sed
 talem, quæ certo iudicio, certo consilio suscipitur.
 Talem enim oportet esse uirtutem, quæ ad agendum
 inclinet cum iudicio, quæ sequatur rectam ratione,
 quam ratio pro loco ac tẽpore moderetur. Catonis
 constantia non est uirtus, sed naturalis quædam du-
 ricia ac pertinacia. Ideo retinet eam Cato, etiã quũ
 nõ oportet. Vera constantia habet $\pi\rho\omicron\upsilon\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$, hoc
 est, liberam electionem, quæ fit iudicio, & aliã ali-
 ter pro uarietate circumstantiarum agit. Magis lau-
 danda est in bello ciuili Ciceronis constantia, quã
 Catonis. Cicero quum quidem constanter fuisset ho-
 nestiores partes sequutus, discessit ab armis, postq̃
 uidit ex utilitate publica esse, ut uicti cederent uicto-
 ri. Cato propter pertinaciã instaurauit bellum, quũ
 uiribus nullo modo par hosti posset esse. Præterea

Electivus
 quid signi-
 ficet.

COMMENTARIA

Stulti sæpe casu boni aliquid faciunt. Sed quia sine iudicio faciunt, alienum est à laude uirtutis, & statim sunt dissimiles sui. Neq; enim diuturna sunt, quæ non constant certa ratione. Sed de hoc toto loco quid sit Electio, seu $\pi\rho\sigma\alpha\iota\sigma\tau\epsilon\sigma$, in tertio libro copiosius disputabitur, tametsi uideor mihi iam satis dixisse de ea. Nec plura lector prudens, ut opinor, requirit.

Reliquæ particulae definitionis supra sunt expositæ, quod uirtus in mediocritate secundum nos uersetur. Nam Aristoteles collocat singulas uirtutes inter duo uitiosa extrema, ut, inter timiditatem & audaciam uersatur fortitudo. Quod addit, certa ratione regi uirtutem, causa ponitur uirtutis. Porro certa ratio uel à lege naturæ sumitur, uel ex probabilibus rationibus, quæ à lege naturæ non dissentiant. Nam leges naturæ fontes sunt omnium deliberationum de moribus. Et quia sunt perpetuæ, certa iudicanda sunt, quæ cum his consentiunt. Et huius rei iudicium tamen ad prudentem uirum reijcitur, qui pro uarietate circumstantiarum uidet, ubi mediocritatem constituere debeat. Nam ut non est facile attingere scopum in iaculando, ita nec facile est medium in deliberando deprehendere. Quoquo modo aberraueris, peccabis. Nam multis modis à recto discedi potest, rectum autem certâ regione circumscriptum

IN ETHICA ARIST.

ptum est. Ideo dixerunt Pythagorici, malum infinitum esse, bonum finitum. Sicuti autem aiunt, Magistra-
stratū animam esse Legum, easq; pro uarietate tem-
porū debere aut mitigari, aut exacerbari. Ita Ari-
stoteles in hac definitione non indicat tanquam cer-
tum punctum mediocritatis, sed permittit uiro pru-
denti, ut suo iudicio medium constituat.

Postremo iterum monendus est lector, ut conse-
rat Aristotelicam definitionem cum nostra, quam se-
rè in ore habemus. Virtus est, que secundum rectam
rationem agit. Videbit enim, & Aristotelem menti-
onem fecisse recte rationis. Tantū adiecit officij mo-
dum de seruanda mediocritate, quem nos serè dissi-
mulamus, maxime propter eos, quibus Aristoteles
ignotus est.

DIVISIO VIRTUTVM.

Prudentiam non numerat Aristoteles inter uir-
tutes, quia est iudiciū, quod nec malis deest. Et
hic uocantur uirtutes tantum hæ, que proprie ad uo-
luntatem pertinent. Collocantur autē singule inter
defectū & exuperantiā, & hoc ordine recēsentur.

Timiditas. Fortitudo. Audacia.

Temperantia Intemperantia. Hic de-
fectus non habet nomen usitatum, quia non sæpe in
eam partem peccatur.

Sordes. Liberalitas. Profusio.

COMMENTARIA

ἡ μικροπρέπεια. Inertia. Magnificentia, uel
 βοῶνσιαι: nam βῶναισι & significat opificē ma-
 nuarium, & metaphorice incultum & uastum ho-
 minem, & amantem luxus, qualis fuit Romæ Anto-
 nius Bancktirer.

Humilis animus. Magnitudo. Fastus.

Cupiditas honoris. Ambitio.

Lentus animus. Mansuetudo. Iracundia.

Disimulatio. Veritas. Vanitas, seu Iactantia.

Insulitas. Urbanitas. Scurrilitas, græ-
 ce βωμολοχία: nam βωμολόχ & significat
 scurrā, estq; factum nomen à βῶμος ara, & λέ-
 χομαι cubo, quia in sacrificijs iuxta aras carnem
 aut aliud quiddā petebant. Et sic proprie cantores,
 aut ridiculi nugatores uocabātur, qui adhibebātur
 inferijs, ut delectarent eos, qui ad sacrificium con-
 uenerant. Sicut & in Germania adsolemnia sacrifi-
 cia & mercatus confluunt histriones. Et quia isti à
 sacrificiis stipem petebant, sic appellati sunt. In
 de generaliter pro scurris uocabulum usurpatū est.

Morositas. Amicitia. Assentatio.

Gratitudo. Ingratitudo.

Stupor. Verecundia. Impudentia.

Nemesis. Nemesis uocat uirtutem, quæ malis irasci solet,
 præsertim quum ex fortunæ indulgentia sunt inso-
 lentiores, & superbiores, sicut interdum sancti in
 scriptura

IN ETHICA ARIST.

Scriptura stomachantur, quod malis bene sit. Sed de hoc motu animi quid sacræ literæ doceant, alio loco dicemus. Si Aristoteles ciuilliter intelligatur, decet Nemesi Magistratus, quos conuenit nō nimium lentos esse in puniendis improbis.

Iusticia. Iniusticiae nomine ueniunt omnia uitia Iniusticiae pugnancia cum iusticia. Fraus, Violentia, Crude litas, Negligentia.

Sic numerantur uirtutes ab Aristotele. Cicero in Officijs contrahit eas in pauciora genera. Sub beneficentia liberalitatem, & magnificentiam completitur, quarum alteram Aristoteles tribuit priuatis, alteram Principibus. Ad modestiam, uerecundiam, urbanitas, mansuetudo, pertinent. Et quia ambitio cum modestia pugnat, hic quoq; de honorū cupiditate disputatur. Ad hūc modum obseruabit prudens Lector, ad quod genus apud Ciceronē singulae referendae sint.

Nec sine ratione uariae uirtutum species factae sunt. Et Aristoteles longa enumeratione earum rerum circa quas uersantur humanae actiones, numerum uirtutum colligit. Ego ut hunc locum popularibus uerbis explicem, sequar genera quae apud Ciceronem extant, & ostendam ex quibus oriuntur fontibus, quae ex re intelligi poterit, quorū docti homines plures uirtutes numerauerunt. Constat hominē

ad civilem societatem conditum esse, ad hunc finem
 pleræq; actiones hominum spectant. Munit igitur
 civilem societatem iusticia: quia punit improbos, de-
 fendit bonos, & regit contractus. Nec possunt exer-
 cere iudicia, nec constitui contractus, & pacta ulla
 sine ueritate. Ergo hæc etiam iure inter uirtutes nu-
 merantur. Fortitudo comitatur iusticiam, quia la-
 trocinia & uim depellit. Huc pertinet & beneficen-
 tia, seu liberalitas: neq; enim civilis societas retineri
 potest, nisi quædam etiam gratuita officiorum com-
 mutatio existat. Hanc sequitur gratitudo, quam in-
 telligunt naturaliter omnes se debere pro accepto
 beneficio. Ad hunc ordinem amicitia pertinet, quæ
 intelligenda est, mutua quædam inter certos & be-
 neuolentia, & officiorum communicatio, quæ sic in
 hac uita necessaria est, sicut Magistratus, aut alie
 res civiles. In Euangelio charitas aliud quiddam est,
 nam hæc præstanda est, etiam si non sit mutua. Ami-
 citia res est civilis, nempe domestica quædam, & fa-
 miliaris coniunctio, quæ non potest esse cum multis.
 Est & pietas necessaria ad societate humani ge-
 neris retinendam, uel parentum erga liberos, uel li-
 berorum erga parentes, & omnes qui iuxta colendi
 sunt, ut parentes. Reliquæ uirtutes circa priuatam
 uitam uersantur, & moderantur cupiditates. Mo-
 destia cohercet libidines. Temperantia assuefacit ut
 cibo

Fortitudo

Gratitudo

Amicitia

Pietas.

Tempe-
 rantia.

do & potu sic ut
 uirtutes uirtutum
 prius communitis
 in ex priuatis of-
 ficiis necessaria
 sunt, tanquam u
 hac ut sumus
 ubi effectibus c
 uideo ueritas ta
 in iudicijs &
 tur a hoc præc
 animis scripta

SCH

In fine huius
 uenturissim
 medium, ope
 dio diffeciam
 sequi, ea tamen
 esse usus est b
 XCVI arguas
 ci n'is p r
 Altera nau
 dum, ut fecer
 quia hoc uic
 da est altera
 non renis in

IN ETHICA ARIST.

cibo & potu sic utamur, ne ledamus naturam. Ita numerus uirtutum sumitur partim ex actionibus, quibus communis societas hominum cōtinetur, partim ex priuatis officijs, quæ ad naturæ conseruationem necessaria sunt. Neq; uerò hæc ita accipienda sunt, tanquam uirtus utilitatis causa colenda sit. Sed hac usi sumus distributione παχυτερον, ut aiunt, ab effectibus colligentes numerum uirtutum, ut non ideo ueritas tantum colenda est, quia necessaria est in iudicijs & cōtractibus. Sed multo magis, quia natura hoc præcipit, quia hæc lex in omnium hominū animis scripta extat, ut ueritatem colant.

SCHOLIA CAPITIS IX.

In fine huius libri generale præceptum tradidit uenustissimis uerbis. Quum difficile sit attingere medium, opera danda est, ut tamen nō procul à medio discedamus, & quum nō possimus optima consequi, ea tamen teneamus, quæ nimium habent uitij, ipse usus est his uerbis: ἐπει δὲ τὸ μέσθ τὴν χεῖν ἄκρωσ χαλεπὸν, κατὰ δὲ τὸν δειντερον φάσι πλεον τὰ ἐλαχίστα, λιπτερον τῶν κακῶν. Altera nauigatione, inquit, quasi dicat. Erat optandum, ut secundi uenti deferrent nos ad medium. Sed quia hoc uix unquam contingit, tamen non omittenda est altera nauigatio, hoc est, ut destituti uentis, nauium remis impellamus, ut pro uiribus tamen ad me

COMMENTARIA

diūm connitamur, ut si quis dicat: Si ingenium mihi
 foelicius contigisset, sine magno labore multum pro-
 fecissem. Sed quia contigit mediocre, sciendum est
 insiduitate id quod naturæ deest, ea est tanquam al-
 tera nauigatio. Nam ὁ δὲ ἐξ ἑσθίας πλὴς πρῶ-
 τος dicitur, ἔθ' δ' εὐτερος πλὴς ὅτι ἀποτυχῶν
 τῆς οὐρίου, κώπται πλὴς, sic enim scribit Suidas.

Hactenus enarrauimus præcipuos locos horum
 librorum. Primus continet grauissimam disputatio-
 nem de fine hominis. Secundus definitionem uirtu-
 tis, præterea obiter hic de affectibus diximus. Atq;
 hæc ueluti elementa Philosophiæ moralis existima-
 ri debent: quæ si quis diligenter cognouerit, ut nul-
 lum aliū fructū hinc auferat, certe melius intelliget
 pleraq; scripta Ciceronis: quæ quum ex his fontibus
 manauerint, non satis intelliguntur ab illis, qui Philo-
 sophiæ prorsus rudes sunt. Si sensero hūc laborem
 studiosis gratū esse, adiiciā per ocium reliquos libros.
 Interea, si qui tamē hoc studio delectantur, quū hæc
 initia Philosophiæ moralis ex Aristotele cognoue-
 rint, quod reliquum est, sumant à Cicerone. Superest
 enim, ut singulæ uirtutes definiantur, et tradantur
 de singulis præcepta. Id Cicero in Officijs præstitit.
 Et interea quū hæc leguntur, sæpe cogitandum est,
 omnia uera ac certa præcepta, omnes definitiones
 certas uirtutū, leges esse naturæ, atq; adeo diuinas.

Nam

IN ETHICA ARIST.

Nam uera est sententia iurifconsultorum, ius natura = Ius natura & diuinum esse.

Nam hae disputationes tantum ostendunt, quomodo hae leges diuinitus sint in natura scriptae. Illud etiam meminerit lector, Philosophiam pertinere ad ciuilem uitam. Longe alia res in Euangelio agitur, ne quis commisceat Euangelium & Philosophiam, ut uideo plerosq; fecisse, qui somniarunt Euangelium nihil esse, nisi quaedam de moribus praecipua,

Philosophia pertinet ad ciuilem uitam.

Quantum in hac persuasionem mali sit, nemo consequi dicendo potest. Ego igitur toties admoneo, ut prudenter discernatur Euangelium à Philosophia. Arcana res est & longe supra conspectum rationis posita iustitia fidei, qua statuimus quod propter Christum habeamus placatum patrem, qua deum agnoscimus, & confidimus nos ab eo defendi, & seruari. Hæc docet Euangelium quid de Deo sentire debeamus. Interea iudicium de ciuilibus moribus rationi humanæ committit, sicut committit nobis curam uoletudinis, & similia corporaliu rerum. Sed inter artes omnes quas humana ratio deprehendit nulla præstantior est, quam hæc de causis uirtutum, deniq; ciuilibus officijs doctrina. Ex hac leges reru publicarum, ex hac humanitas omnis, quæ proprie sic uocatur, orta & propagata est. Itaq; non leuiter reprehendendi sunt hoc tempore hi, qui cum ca

RIA
Si
ore
e, f
a e
tas
ore
m
scri
uos
siman
nitionem
uox
norali
gnouit
melius
m ex
ab illi
ro
reli
antur
otele
erone
& tr
ficijs
igitur
s definitio
adeo diuinit
Nam

COMMENTARIA

rum artium, quæ humanitatis appellatione continentur, studia profiteantur, has disputationes de uirtute negligunt: quæ pleræq; aliæ artes ex his aut deriuatæ sint, aut certe ornatæ. Quantum hinc sumit eloquentia, quantum Iurisconsulti? Quare uelim studiosos adolescentes hanc doctrinam degustare, nec aliam ob causam sumpsi hunc enarrandi laborem, nisi ut studia aliorum uel adiuuarem, uel saltem commouerem.

Nolui delicatos lectores immodicis cõmentarijs ab Aristotelis lectione abstertere, quare præcipuos autoris locos deligimus, eosq; quantum in ista breuitate licuit, popularibus uerbis exposuimus, pleræq; consulto prætermisimus, quæ diligens lector facile sine interprete assequetur.

FINIS.